

OVIDE

Fastes, I, 709 - 724

Ipsam nos carmen deduxit Pacis ad aram :
 hæc erit a mensis fine secunda dies.
Frondeb Actiacis comptos redimita capillos,
 Pax, ades et toto mitis in orbe mane.
Dum desint hostes, desit quoque causa triumphî :
 tu ducibus bello gloria maior eris.
Sola gerat miles, quibus arma cœrceat, arma,
 canteturque fera nil nisi pompa tuba.
Horreat Æneadas et primus et ultimus orbis :
 siqua parum Romam terra timebat, amet.
Tura, sacerdotes, Pacalibus addite flammis,
 albaque perfusa uictima fronte cadat ;
utque domus, quæ præstat eam, cum pace perennet
 ad pia propensos uota rogate deos.
Sed iam prima mei pars est exacta laboris,
 cumque suo finem mense libellus habet.